



13  
DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
EXPECTANTIIIS FEVDALIBVS

1783 12  
QVAM  
PRAESIDE  
D. GEORGIO STEPHANO  
WIESANDIO

PROFESSORE DIGESTI INFORTIATI ET NOVI  
ORDINARIO CVRIAE PROVINCIALIS CONSISTO-  
RII ECCLESIASTICI SCABINATVS ATQVE COLLEGII  
IVRECONSVLTORVM ASSESSORE

PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
RITE CONSEQVENDIS

DIE XXI. AVG. A. R. S. MDCCCLXXXIII.


H. L. Q. S.

AD DISCEPTANDVM PROPOSITVRVS EST

AVCTOR

CAROLVS GVSTAVVS OBERKAMPF

DABRVNO - SAXO



VITEBERGAE,  
BITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISIL

DISSERTATIO IN ANGERIALI  
DE  
EXPECTANTIS FVADALIBVS

FRASIDE

D. GEORGIO STEPHANO  
WISSANDIO

PROFESSORE DIGESTI INORTATI ET NOVI  
ORDINARIO CURIAE PROVINCIAE CONSISTO  
ET ECCLESIASTICI SCABINATVS ACADE COLLEGI

PRO SVMMIS IN VIROVIVRE HONORIBVS  
HABERE CONSERVANDIS

die XXI AUG. A. R. S. MDCCCXXXIII.

H. F. G. S.

AD DIGNITATEM PROMOVENDVS EST

AUCTOR

CAROLVS GYSTAVVS OBERRAMPT.

DABVNO. SAXO.

VITBERGAE.

BITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII





**S**i vlla doctrina; certe iuris feudalis disciplina variis ho-  
minum doctorum opinionibus turpiter fuit vexata ita  
quidem, vt propemodum de omnibus fere argumen-  
tis in vtramque partem, magna animorum contentione di-  
fceptatum fuerit. Multi enim fontibus, vnde haec fcientia  
haurienda, prorfus neglectis, turbatos doctorum fccordia  
riuulos confectati, fuo ipfi arbitrio monftroras interdum fin-  
xere opiniones, iuri certo prorfus contrarias. Alii e con-  
trario ingenio plus iuflo indulgentes, fpeciofas propofuere  
rationes atque huius difciplinæ expertes facile in errores fe-  
duxere. Nonnulli magis aequitatem naturalem, quam legum  
fanciones fecuti, non tam conftituti iuris regulas, quam po-  
tius vaga aequitatis arbitrarie praecepta tradidere. Nec ne-



gandum, inde varia incommoda esse orta ipsosque progressus artis longe pulcerrimae mirum in modum fuisse retardatos. Inter omnes quoque constat, ius feudale ab incunabilis incertos habuisse natales, cum ex consuetudinibus Longobardorum conflatum, ac temporum demum successu in artis formam fuerit redactum, quod fere sub Imperatore Conrado II. accidisse videtur. Non deest quidem hodie legum feudali-um copia; sed tamen saepius, quando iura prouincialia deficiunt, controuersiarum huc spectantium decisio ex iure communi est petenda. Sed saepius in hac re peccatur, et cum in diiudicandis caussis feudalibus priscae consuetudines, atque iuris antiqui sanctiones sint spectandae, iis prorsus omi-ssis, rixae mouentur odiosae, eiibus valde molestae. Quae cum ita sint, mihi specimen dissertationis inauguralis edituro, aequos lectores veniam daturos existimo, dum hac occasione argumentum ex iure feudali, cui discendo maxime intentus fui, et quidem de expectantiis, amplius excutien- dum sumo. Licet vero de hac re iam multae clarorum vi- rorum dissertationes extant, me tamen post messem homi- num doctorum, adhuc aliquod spicilegium, fortassis haud prorsus inutile esse exhibiturum, spero, quod vt periti ha- rum rerum censores pro meae doctrinae tenuitate diiudicent, humanissime oro rogoque. Ante vero, quam ad expectan- tiam explicandam accedo, disquirendum videtur, cur expe- ctantia concedi soleat.



§. II. Si ius eorum, quibus feudum ipso iure, et vi conventionis competere poterat, extinctum est, dicitur feudum domino fieri apertum. I. F. 18, 2. Quod si vero eorum ius in re feudali extinctum sit, dominum utile ad dominum directum reuertitur, et cum dominio directo ita coniungitur, ut dominus feudi illud iam pleno et integro iure possidere incipiat. Hoc variis modis euenire potest, uti 1) morte vassallorum, nempe omnium, ad quos feudum vi inuestiturae primae peruenire poterat, et tunc feudum domino in perpetuum aperitur. Ergo si prima inuestitura non nisi primi vassalli descendentibus ius in feudo acquisitum est, istis defunctis, feudum ad dominum redit, nec eorum agnati tamquam proximi heredes ab intestato in bonis allodialibus, tunc ad possessionem feudi adspirare poterunt. Si vero aliis adhuc vi inuestiturae, ius in feudo competit, his demum omnibus extinctis, ad dominum recedit. Feudum, quod morte vassallorum ad dominum reuertitur, in litteris inuestiturarum vulgo dici erstorben, ledig und los, heimgefallen, iam obseruauit Boehmerus in *dissertat. I. de natur. et indol. expectatiu. feudal.* §. 2. 2) Hoc quoque contingit feloniam, si ob illam priuatio feudi decreta est. Etenim vassallus ipso iure ob feloniam commissam, feudo non priuatur; sed, cum nemo innocens sit condemnandus, hieque ante omnia, veritas istius facti, quo fides vassallitica fuit violata, sit recte exploran-





ploranda, id faciendum, praeuia causae cognitione, illiusque legitima decisione, I. F. 21 et 22. Hornius in *iuvisprud. feud.* cap. 23. §. 20. Denique 3) refutatione siue resignatione simpliciter, non vero in commodum successoris feudalis facta. II. F. 14. Etenim feudo pure et simpliciter refutato, ius vassalli eiusque heredum descendendum extinguitur. II. F. 45. Non vero id obtinet in refutatione, quae in fauorem successoris feudalis est suscepta, quoniam ius, quod vassallo in feudo competierat, in hac solummodo in alterum cessione transfertur, et per illam domino non in perpetuum, sed ad tempus aperitur, ita vt dominus, quam diu alias refutantis ius in eodem durasset, si feudum non refutasset, istud integro iure teneat. His igitur modis si feudum apertum fiat, res, quae antea feudalis fuerat, domino pleno iure cedit, ita quidem, vt de illa, quatenus eius potestas legibus non est circumscripta, pro arbitrio disponere, ac proinde eandem in alterum clientelae nexu transferre possit. Ius feudum obtinendi in eum euentum, si illud domino fuerit apertum, concessum, dicitur expectantia, expectatiua, siue expectatio feudalis.

§. III.

Ex his quidem intelligitur, domino ius conferendi expectantiam non esse denegandum. Etenim legibus feudum denuo aliis personis conferre nouosque sibi vassallos asciscere non impeditur. Quo quidem arbitrio tunc, cum eorum,

quo-



quorum interest, iura in feudo sint extincta, cum ex reinfeudatione nemini vllum damnum nascatur, recte vtitur. Tunc enim reuertitur ad dominum, et is istud iam pleno iure possidet. Vix igitur credibile est, opinionem eorum, qui olim expectatiuas tanquam pacta inhumana, quae votum et occasionem captandae mortis inducant, esse repudianda statuerunt, patronum adhuc commodum esse reperturam. Cuius quidem opinionis leuitatem dudum monstrauit Vulteius *de feudis Libr. I. cap. 7. n. 48.* Adde etiam Hommelii *Academische Reden über Mascovs Buch de iur. feudor. Cap. 8. §. 11.* Licet enim pacta successoria de hereditate viuientis, iure Romano sint prohibita, vti ex L. 15. C. *de pact.* et ex L. 16. D. *de suis et legitim. heredib.* luculenter perspicitur; ea tamen prohibitio ad negotia feudalia non est extendenda. Neque commode satis feudum in vniuersum hereditati comparari potest. Pacta successoria tunc demum effectum producant, si is, de cuius hereditate fuit conuentum, ex vita migrauerit, cum viui non sit hereditas. L. 6. C. *de inoff. testament.* At feudum non solum morte vasalli, sed eo quoque viuo, aliis modis saepius domino aperitur. Tunc vero dominus directus non de re aliena, sed de re propria disponit. Ea vero potestas, quam ius Romanum domino permittit ita quidem, vt de ea suo arbitrio statuere queat, l. 21. C. *mandat.* iure clientelari non est restricta.



§. IV. Non defuere sane, qui existimauerint, expectantias non esse tolerandas, propterea quod omni vtilitate destituerentur. Hi sibi persuadent, dominum melius esse facturum, si feudis ad se deuolutis vteretur, atque per ea suum patrimonium adaugeret. Sed haec opinio nec domino directo satis consulit, nec publicae vtilitati conuenit. Interest enim domini directi, numerum vasallorum potius augeri, quia inde ius et robur statuum prouincialium maxime pendet. Honorificum vero erit domino plurimos habere vasallos auctoritate copiisque florentes multosque afficere gratis beneficiis. Quin olim potestas domini saepius ita erat circumscripta, vt feudum apertum retinere deque eo pro arbitrio disponere non potuerit. Ita enim statuit *Ius. Prou. Suen. Libr. I. c. 32. §. 3*: der Chuning sol chain Vanlehn in seiner Hant haben Jahr und Tag, er sull es hinleihen. Eandem sanctionem quoque suppeditat *ius prou. Saxon. Libr. 3. art. 60*. De feudis Pomeranicis obseruat Chemnitius, nobilitatem Pomeranicam olim hoc vi priuilegii peculiaris allegasse atque in comitijs saepissime monuisse, ne dominus directus aperta bona feudalia sibi referuet, et in domanialia conuertat, sed potius, vt feudi capaces agnati cum iis inuestirentur, ex ea ratione, ne subtractione horum praediorum, virorum et equorum defectus subsequeretur, et reliquis maiora onera imponerentur, efflagitasse. Confer Brunnemanni  
 Consil.

Consil. N. 209. Plura exempla huc pertinentia collegit Boehmerus in *dissertat. supra adduct.* §. 6.

## §. V

Ne vero incerta via vagari videar, iuvat iam stabilem expectantiae notionem constituere, simulque eam iustis circumscribere limitibus. Qua quidem in re, dum morem antiquitus in libellis academicis receptum seruo simulque verborum vanis litigiis occasionem praescindo, nihil a proposito alienum facturus sum. Sumitur vero expectantia in multiplici sensu et quidem vel pro ipsa conuentione, qua eadem promittitur; vel pro litteris super expectantiae concessione confectis, vel pro iure ad rem per conuentionem super expectantia constituto. Confer Leyserum in *dissert. de iniquitate et recto usu expectantiae*, in *Volum IV. Meditat. ad Pandect.* p. 472. *seqq.* Sed, cum significatio altera sit rarior et minus propria, eidem hic inhaerere nolo. Ego potius expectantiam accipio pro iure feudum obtinendi, quod in casum, si illud domino fuerit apertum, fuit promissum.

## §. VI.

Expectantiam esse vocem barbaram ipsis medii aevi scriptoribus incognitam, vocem vero expectatiuae esse paulo antiquiorem, Leyserus in *dissertat. excitat.* §. 2. obseruat. Auctor *de beneficiis* §. 25 et 27. expectationem usurpat, quod quidem verbum satis latinum etiam occurrit in *inr. feudat.*

B

Saxo-



*Saxonica. Latin. cap. 30. §. 4.* vbi etiam feudum de futuro dicitur. Equidem, cum consuetudinem loquendi in argumentis iuris, ne alii obscuritatem obiciant, diligenter sequi debeamus, vocem expectantiae tanquam maxime usitatam retinere malo. Germanico sermone vulgo dicitur Anwartschaft, Lehnwartschaft, Anevelle, Angefelle, Anfall, Lehn ohne Gewaehr, Beantwortung, Anwartung, Gedinge. Postremum vocabulum saepius obuium est in iure feudali; prisco. Vide *ius feud. Saxon. cap. 7. et cap. 61.* Haltausius in *Glossar.* sub hac voce iam animaduertit, vocabulo Geding olim conuentionem in genere, in specie vero expectationem feudi pacto promissam, fuisse expressam, cuius quidem sententiae lubenter subscribo. Perperam vero mihi nonnulli Geding inde, quod expectantiae semper sub conditione aperturae concedantur, repetere videntur. Anvelle siue Angefelle, dicitur, quia in casum deuolutionis ad dominum redit, ei, cui est promissum, aliquando cessurum. Fallen quidem nostro sermone denotat obuonire, ab vno ad alterum deuolui. Wachterus in *Gloss. Germ. voce fallen p. 409.* Obseruandum tamen, vocem Anevelle quoque vsum fructum feudi ad dominum, tanquam legitimum tutorem, deuolutam, vel lucrum pro custodia feudi pupillaris praestandum, denotare. *Ius feud. Alem. cap. 55.* Buder in *amoenitat. iur. feud. p. 139. seqq.* Die Leenwarschop s. die Lehnwartschaft, in litteris expectantiae Adolphi et Eriici, Comitum Schaumburgen-

gen-



gensium, Ludolpho de Münchhausen anno 1463. datis, appellatur. Conferatur Gruberus in *sylva Doc. origin. Li. non. sacr. et civil. p. 210.* Beantwortung occurrit in formula inuestiturae de anno 1641. quam exhibet Bochmerus in *Observat. iur. feudat. p. 202.*

## §. VII.

Germanos expectantias feudales, ex quo iis feuda innotuerunt, recepisse, probabile est, cum dominorum interesset clientes sibi obstringere arctius atque spe beneficiorum, eorum fidem corroborare, feuda vero duntaxat olim ad vitae tempus concederentur. Conferatur Mascou. de *expectat. in feud. Imp. §. 4.* In iure Longobardico non expectatiuae purae seu simplices, sed tantum qualificatae cum euentuali inuestitura coniunctae occurrunt, id quod, ut alios locos omittam, ex II. F. 26. I. F. 3. et 27. satis intelligitur. Cum ergo nihil de puris expectantiis disponat ius Longobardicum, in iisdem diiudicandis spectandus erit modus, quo conferuntur, nec non formula inuestiturae euentualis. Vsum expectantiarum apud Germanos clare probant *Ius feudat. Saxon. cap. 5. 11. §1 et 59. Ius feudat. Alemann. cap. 13 et 19.* Vetus Auctor de *benefic. §. 27. et 84.* In Imperio Romano-Germanico satis antiquus est vsus expectantiarum. Etenim iam Henricus illustris, Marchio Misniae, expectantiam a Friderico II. Imp. anno 1242. in Landgraviatum Thuringiae et comiti-



nam palatii Saxoniae acceperat, qui etiam post mortem Henrici Rasponis, Marchionis Thuringiae, terram Thuringicam obtinuit, quamvis Comes Afcaniae Sigfridus, eandem ad se trahere cuperet, quod patet e documento d. 1. Iul. 1249. quod in Weckii Beschreibung von Dresden p. 153. seq. ita se habet: *quod tibi post mortem auunculi tui Henrici Landgrauii Thuringiae duos principatus suos, veluti Landgrauiam Thuringiae et comitiuam palatii Saxoniae et omnia alia feuda, quae a nobis et ab imperio tenentur, cum ipsorum pertinentiis iure contulimus feudali, tali tamen forma, ut si sine herede filio, quod Deus auertat, ipsum praemori contigerit, nostra concessio stabilis perseueret, ne inter heredes tunc, cum de patris sui Hermanni felicitis recordationis primogenita sis genitus, lites et seditiones orientur, et ut etiam sic tuis presentibus respondeamus seruitiis et Imperio seruire tenearis in futuro.* Idem documentum etiam edidit Hornius in *codic. diplomat.* quem vitae Henrici Illustris subiunxit, p. 304. seq. Plura exempla expectantiarum, in feudis imperii obuiarum, utili industria collegit Mascouius in *dissertat.* antea laudata §. 8. seqq. Vide etiam *Repertor. iur. publ. et feudal.* ex edit. Scheidemanteli sub *verb.* Anwartschaft §. 3.

#### §. VIII.

Expectantia est vel simplex, vel qualificata. Simplex est, quae mera voluntate concedentis et pactione nititur, et haec

haec iuri Longobardico erat incognita. Qualificata est, cui accessit inuestitura euentualis, quae vulgo superinfeudatio dicitur, et formula, ein Geding lehn, exprimitur, quae tamen cum subinfeudatione non est confundenda. In illa tantum promittitur feudum in casum aperturae; in hac contra ius reale, in euentum aperturae suspensum, per inuestituram constituitur. Expectantia euentuali inuestitura munita possessori eiusque agnatis successoribusque detrimentum afferre posse videtur, cum inuestitura sit species traditionis et modus feudi acquirendi. II F. 7, 1. et II. F. 8. Licet vero ea producat ius reale aliquod, id tamen fit euentualiter et sub conditione. Translatio dominii fieri potest vel pure, vel sub conditione. Dominus dominium vtile cedit vel vni, vel pluribus; idque vel simpliciter, vel sub conditione, si fuerit apertum, vti fieri solet in expectantia. Multum igitur ab expectatiua differt inuestitura simultanea, quippe quae dominium vtile in plures sub nexu feudali iudicialiter et quidem pure confert. Vide Struuii *Element. iur. feudal. cap. 9. §. 240. seq.* Nullum detrimentum vero ex hac inuestitura euentuali imminet possessori, cuius quidem non interest, quemnam, postquam ius, quod vassallus habuit, expirauit, dominus sibi successorem destinet, atque is querelam moturus, exceptione deficientis interesse submouebitur. Ex his apparet, inuestitura euentuali corroboratam expectantiam non transire in simultaneam inuestituram,



eamque ius purum et praefens in feudo haud producere. II. F. 26. Hoc iure curiae feudales circa inuestituram euentualem et expectantiam hodie vtuntur. Inuestitura euentuali quoque plerumque confirmantur expectantiae in feudis Imperii maioribus, licet casus aperturae post longum tempus, demum existere possit. Sic Domus Brandenburgica inuestita fuit cum expectantia in terras Meldenburgicas, vid. Lunigii Reichs - Archiv. *Part. spec. Cont. II. p. 182.* Expectatiuarii etiam aliquando assumunt titulum et insignia eius feudi, cuius obtinendi spes ipsis facta est. Non tamen nego, hanc inuestituram degenerare interdum in simultaneam inuestituram. Expectans vel vassallagium praestat, vide Lunigium in *codic. diplomatic. T. II. p. 2455.* vel solummodo accipit diploma sine vilo iuramento. Conferatur Reichs Fama *Tom. VI. pag. 210.*

## §. IX.

Omnem porro expectantiam esse generalem, vel specialem, notum est. Generalis expectatiuario ius tribuit feudum, ex pluribus primum vacans acquirendi. Id appellari *Zerlehn*, vulgo traditur; sed vocem illam ex disciplina feudali dudum, proscripsit Schilterus in *Comment. ad ius feud. Alem. cap. 12. §. 6.* vbi ostendit, hoc verbum ex vitiosa lectione I. F. S. *cap. 7.* vbi *Erren* (*Eyeren*) *Lehn* (feudum antierius) legi debebat, a glossatoribus fuisse effectum. Est porro determinata, quando singularis aperturae species exprimitur, vel indeterminata,

minata,



minata, quando expectatiuarius ad certum aperturæ euentum  
 non adstringitur. Exemplum subministrat *Instrument. Pac.  
 Osnabrug. Art. 11. §. 6.* Denique est vel prima, vel secun-  
 da siue succedanea superexpectantia, quæ datur in euentum,  
 si prior expectantia effectu forte careat, v. c. si expectatiua-  
 rius sine successore moriatur. Formulam eiusmodi superex-  
 pectantiae nuper exhibuit Puttmannus in *Obseruat. iur. feu-  
 dal. p. 141. seq.* Omnis quidem expectantia datur sub con-  
 ditione. Ea vero esse potest vel generalis, vel specialis, cum  
 ratione obiecti, tum intuitu modi. Generalis est, si v. c. do-  
 minus directus expectantiam in primum apertum feudum tri-  
 buit. Specialis ratione modi est, si v. c. dominus directus  
 expectantiam in euentum, si per mortem vel per feloniam,  
 feudum ad eum redeat, concedit. Ratione obiecti specialis  
 exstat, si dominus feudum, cuius aliquando consequendi  
 spem facit, in specie expresserit. Ex indeterminata peti po-  
 test feudum, quacunque ex causa domino illud fuerit aper-  
 tum. Sed aliter se habet determinata, quippe quæ præcise  
 eum euentum, in quem fuit collocata, desiderat. Si igitur  
 alio modo aperitur, expectatiuarius nihil accipit. Putant  
 nonnulli, conditionem expressam etiam continere tacitam.  
 Sed hæc opinio non est probanda, cum ab euentu, in quem  
 expectantia fuit suspensa, eius vis et efficacia vnice pendeat.  
 Qui liberalitatem exercet aliisque beneficia tribuit, etiam  
 conditiones, sub quibus eiusmodi liberalitas effectum est for-  
 titura,



titura, praescribere potest. Si igitur expectantia in certum feudum fuerit data, electio expectatiuario non competit, nec e contrario, si in primum vacans fuerit concepta, expectare debet, donec melius aperiatur. *Ius feud. Saxon. cap. 7. Ius feud. Alem. cap. 15. §. 1.* Struv. in *Syntagmat. iur. feud. Cap. 7. §. 5.*

§. X.

Omnis res, quae commercio non est exempta, obiectum expectantiae esse potest. Hinc et in bonis ecclesiasticis, quae alienari et in feudum dari possunt, ea locum habet. Consulenda hic est Boehmeri *dissert. de feud. ecclesiast.* qui in *Cap. 1.* monet, pleraque feuda ecclesiastica ex oblationibus maiorum fuisse orta. Nec est dubitandum, quin eadem in allodio oblato, in feudum conferendo, constitui queat. Feudo vero secundum modum in expectantia conuentum, aperto, dominus ad feudum expectatiuario constituendum, seu ad dominum utile in eundem sub lege mutuae fidelitatis transferendum, obligatur. Obligationem vero ad dominium utile sub nexu fidelitatis concedendum, producit ipsa conuentio, quae inest expectatiuae et qua promissio feudi consequendi fuit data, nisi fortassis expectantia precario fuerit indulta, quia tunc dominus suam liberalitatem pro lubitu reuocare potest. *L. 1. D. de precar.* Olim dominus allodium, quod quis in feudum obtulerat, post anni et dici possessionem, offerenti tamquam feudum concessurum esse, promittebat. *Ius Prou. Sa-*

*xon.*

❖ ❖ ❖

*xon. Lib. I. art. 34.* In feudis subinfeudari solitis expectantia pariter consistere potest. Feuda regalia et non regalia, tam ab Imperatore, quam a statibus Imperii in expectantiam dari queunt. Iam vero in *Capitulat. Caroli V. art. 24.* cautum erat, ne concessio feudorum Imperii maiorum apertorum ab Imperatore fieret sine consensu Electorum. Postea in *Ferdinandi II. Capitulat. art. 28.* id expressis verbis fuit cautum de expectantiis. In *Ferdinandi IV. Capitulatione* vero, ut Electorum consensio ad dandas expectantias esset necessaria, expresse fuit sancitum. Denique ad normam Capitulationis perpetuae in *Capitulat. Caroli VI. art. 11.* constitutum est, ne expectantia in Electoratus, sine consensu Electorum, nec in principatus, comitatus et Dynastias imperii, sine consensu Electorum et principum Imperii, et in vrbes Imperii, non nisi cum consensu Electorum, Principum et collegii ciuitatum daretur. Vide quoque *Capitulat. nouiss. art. 11. §. 8-10* et *Moseri Commentar. ad Capitulat. Francisci I. Part. II. p. 156.* Harum quidem sanctionum consilium in primis spectat ad tuendum splendorem Imperii Romano-Germanici, qui ut perpetuo conseruetur, optabile est.

§. XI.

Ad consequendam expectantiam ante omnia necesse est, ut dominus animum de concedenda expectantia perspicue declarauerit, expectatiuarius vero hanc declarationem acceptauerit. Mutuus quidem consensus semper adesse debet, siue il-



lam ipse expectatiuarius sibi concedi roget, siue a domino vltro et sponte concessam grato animo accipiat, siue ea titulo benefico, siue oneroso fuerit data. Potest conferri vel per vltimam voluntatem, vel inter viuos. Saepius vero accedit inuestitura, quae fit in euentum et sub conditione, si feudum fuerit apertum. II. F. 26. §. 2. Haec inuestitura cum non praesens, sed futurum dominium vtile, quod demum conditione aperturae existente, effectum nanciscitur, transferat, vulgo verbalis, rectius vero euentualis dicitur. Non tamen est existimandum, eam omni iuris effectu esse destitutam. Potius expectatiuarius per inuestituram euentualiter factam ius reale, scilicet dominium vtile in feudo consequitur, licet eius effectus in casum aperturae interim suspendatur. Inde igitur sequitur, vt ius expectatiuarii, quamdiu feudum nondum est apertum, quiescat. Promissio pura hic non obtinet, quia damnosum esset possessori legitimisque successoribus iura auferre, nulla praecedente culpa. I. F. 9. II. F. 35. *Ius feudale Saxonie. cap. 5.* Licet vero deinde vasallus sine liberis decedat, nulla tamen est, et dominus ad feudum tradendum non est obstrictus. Immo ne in illo quidem casu tanquam valida sustinetur, si vasallus possessor consentiat, quia feudum alteri tradere et illud simul retinere, plane sunt contraria. Omnis scilicet expectantia hanc habet indolem, vt expectatiuarius casum aperturae expectare cogatur.

## §. XII.

Expectantia in primis efficax fit post mortem vasalli possessoris, eius heredibus masculis, aliisque successionis capacibus extinctis. Consensus vasalli, qui feudum in praesenti possidet, ad dandam et impetrandam eam non est necessarius. Cum enim concessio expectantiae iura vasalli possessoris non minuatur, ratio autem, cur consensus alterius in actum expediendum impetrandum sit, maxime hoc nitatur fundamento, ne ius alterius laedatur; facile intelligitur, vasalli consensum, cum eius nihil interfit, ad dationem expectantiae haud desiderari. Hilliger *de necess. cons. vasalli in expect. feud. a dom. conced.* §. 16. Hanc quidem sententiam ipsa iura corroborant. Ita enim I. F. S. *cap. 10.* sancit: *Etteliche Lüte segen daz man ch'rin gedinge lihen müze ane ienes bete, der ez Gut in Geweren hat: das en ist nicht, wenn der man gezeugen sine Lemunge ab erz bedarf und niemands bete.* Item Vetus Auctor *de benefic. cap. 1. §. 27:* *quidam dicunt, quod expectatio beneficii nulli possit concedi absque petitione illius, qui possidet beneficium. Hoc ostendam esse falsum.* Conspirat ius Longobardicum, quod consensum vasalli, licet inuestitura euentuali expectantia munita sit, non requirit. II. F. 26. §. 2. Sententiam Placentinorum dissentientium vicit sententia Mediolanensium et Cremonensium, iuri et aequitati magis consentanea. I. F. 27. II. F. 35. Apud nos

C 2

idem



idem obtinet, etsi iueſtitura euentualis acceſſit. Nec refragatur *Edict. Torgau. Tit. Welchergestalt die Ugnaten. §. Zehoch.* quia hic de ſimultanea inueſtitura agitur. Adde Carpzou. *Part. 2. Conſt. 45. def. 1.* In feudis Imperii idem obtinuiſſe, varia exempla docent. Sic Imperator Rudolphus Habsburgicus anno 1276. Ioanni de Hannonia expectantiam in comitatum Hollandiae et reliqua Florentini comitis feuda Imperii conceſſit. Martene in *Theſ. Tom. I. pag. 1153.* Porro Ferdinandus II. Imperator Chriſtiano IV. Daniae regi expectantiam concedebat, contradicente Erneſto, Comite Schaumburgico. Vide Londorp. *Acta publ. Tom. II. Libr. 6. c. 30. p. 415.* Sed ſaepe ex regulis prudentiae vaſalli poſſeſſoris conſenſus adhibetur, quin neceſſarius eſt, ſi dominus eundem promiſit. Conferatur Hilliger *l. c. §. 27. Ius feudale Alemann. cap. 19.* conſenſum vaſalli ad expectantiam impertientiam exigit. Sic enim ſtatuit: Etliche lüte ſaegent das ein Herre ein gedinge lihen moege one ſins Mannes willen der das güt von Im hett und das in feiner gewer iſt. Das iſt aber nüt recht, Es mag kein Herre kein Gedinge lihen an keinem Gute das ein man von Ime hett one ſinen willen und bette. Sed contrarium ipſa praxis et obſeruantia docet. Ipſis in terris Sueuici et Francici iuris, vti patet ex expectantia Saxonica de anno 1483. in ducatum Iuliae et Montium, haec ſententia vſu haud ſuit obſeruata. Lunig. *Reichs-Arch. Part. ſpec. IV. Abſch. 2. Abſch. p. 14.* Buder in der Anzeige der Lehn-Briefe, auch

auch Anwartschaften und Confirmationen derer Privilegien  
des Chur- und Fürstlichen Hauses Sachsen p. 36.

§. XIII.

Ius eam concedendi pendet a potestate domini feudum  
apertum reinfendandi, certisque limitibus est circumscriptum.  
Dominus feudi est, qui feudum proprio iure constituit. Feu-  
dum constituere potest, qui liberam habet de bonis iure pro-  
prio disponendi facultatem I. F. 3. et qui sibi stipulari potest  
eam, quam natura feudi desiderat, fidelitatem, dummodo  
nihil, quod domini territorialis iura minuat, suscipiat. Se-  
xus, status, vel subiectionis ratio impedimento non est iuri in-  
feudandi II. F. 3. et 34. ab Eyben in *Elect. iur. feudal. cap.*  
8. §. 9. Praelatus sine consensu capituli, rem antea nemini in  
feudum datam nec alienare, nec expectantiam dare potest I.  
F. 1. Horn. in *iurisprud. feudal. cap. 5. §. 4. seq.* Aliud  
vero statuendum est, si ius feuda ecclesiastica conferendi, pa-  
cto fuerit concessum, v. c. Quedlinburgi: *so sollen von der*  
*Aebtissin aller Fürsten und Grafen und dergleichen hohen*  
*Lehen Angefalle und anderer gestalt nicht dann mit S.*  
*Churf. Gn. und derselben Nachkommen vorwissen verlichen,*  
*begnadet oder verschrieben werden. Was aber andere*  
*Lehen seyn, sollen der Aebtissin die zu verschreiben frey*  
*stehen und bleiben.* Recessus de anno 1574. N. 5. T. 14  
der Staats-Canzelei p. 497. Res tamen ecclesiasticae antea  
infeudari solitae, nempe eae, quae semel recte in feudum da-



tae sunt, expectantias admittunt. Confer hic Boehmer. *disseruat. de feud. ecclesiastic. cap. 3.* Exemplum expectantiae in feudum campanarium, quam anno 1641. Praepositus capituli ecclesiae S. Ansharii Bremensis concessit, suppeditat Boehmer. in *Obseru. iur. feudal. p. 202. seq.* Sede vacante, si feudum aperitur, capitulum expectantiam dare non potest. C. 14. X. de *maior. et obedient. et c. 2. X. ne sede vacante aliquid innouet.* Imperator etiam iure praebet expectantias, modo hodie secundum *Capitul. Art. 11. §. 10. - 12.* Electorum apertum consensu Electorum, principatum, comitatum ac dynastiam, consentiente collegio Electorum ac Principum, urbem Imperii vero ciuitatum quoque imperialium consensu, in feudum concedat. Sunt, qui putent, Vicarios Imperii nullas posse dare expectantias in feuda Imperii. Pffessinger ad *Vitriar. L. III. Tit. 7. §. 8. p. 616. seq.* Sed in *aur. bull. Tit. 5. §. 1.* duntaxat feudorum Principum et eorum, quae Fahnlehen vocantur, inuestitura et collatio Imperatori Romano fuit reseruata. Ex ipsis vero Caroli VII. et Francisci I. *Capitulat. Art. 11. §. 7.* satis luculenter apparet, Vicarios Imperii iure inuestiendi cum feudis Imperii, omnino esse instructos. Hinc in Boernerii sententiam ab eo, qui in *animaduers. quibus ius publicum Masconian. illustrauit, Part. I. p. 564.* statuit, ius concedendi expectantias in feuda Imperii minora, iisdem nullo modo esse denegandum. Adde Frankii *Prohus. de iure Vicar. Imperii de feudis Imper.*



*per. disponend.* quae exstat in Ienichen. *Theaur. iur. feud.* Tom. I. p. 869. *seqq.* Interdum quoque nobiles suos habent vasallos, vti in Saxonia de familia Pflugiorum constat. Eos igitur tunc expectantias recte dare, nemo facile negauerit. De vasallis nobilium landsässiorum varia lectu digna attulit Buderus in *amoenitat. iur. feud.* p. 105. *seqq.* Adde Strubenii *Obseru. iur. et histor.* p. 279.

§. XIV.

Expectantia pacto legitime concessa, nec a domino sine iusta causa reuocari, nec quidquam, quod expectatiuarii iuri fraudi est, suscipi debet. II. F. 26. §. 14. Promissis enim standum est, et fides alteri data haud est violanda. Ex promissione vero ita obligatur dominus, vt, existente conditione, feudum tradere cogatur. Quam quidem obligationem etiam confirmat I. F. *Alem. cap.* 12. I. F. S. *cap.* 7. I. Long. 11. F. 26. §. 2. Quo magis vero haec sententia cum aequitate naturali consentit, eo quoque acrius erit tuenda. Aliud tamen erit statuendum, si nuda expectantia fuerit in testamento data, vel si eadem fuerit legata. Etenim vltima voluntas est reuocabilis saepiusque mutari potest L. 4. D. *de adimend. vel transfer. legat.* Quis igitur domino eam potestatem, quam ipsae leges eidem permittunt, auferre auit? Porro quaeritur, an dominus praecise, si casus aperturae contigerit, ad tradendum feudum sit obligatus, an vero se praestando id, quod interest, liberare possit? Si euentualis inuestitura adest, praecise



cise ad istud tradendum tenetur secundum textum II. F. 7. §. 1. et II. F. 26. §. 14. et tunc etiam ideo coram paribus curiae conueniri potest. Hommel de *causs. pseudo-feudal. verisque* §. 33. Secundum *Ius feud. Sax. cap. 11. et 33.* se praestando id, quod interest, liberare potest. Sed, cum in aliis negotiis natura conuentionis ita ferat, vt res ipsa praestetur, nec id solum ad obligationes dandi, sed et ad eas, quae in faciendo consistunt, pertineat, vti dudum probauit Hambergerus in *dissertat. de non usu stipulat. et usu pactor. in German. in opuscul. p. 196.* dominus in omnibus casibus, vbi ex conuentione rem tradere debet, erit ad hoc obligatus. II. F. 26. §. 14. Excipio tamen casum, si penes ipsum non stat, quo minus feudum in alterum conferatur, v. c. si casu fatali impediatur, et tunc interesse praestare tantum tenetur. Neque interest, vtrum vasallus ex sola gratia et titulo lucratiuo, an ob merita et titulo oneroso ius suum acquisuerit, num dominus sciens, an ignorans fecerit, II. F. 8. pr. Nam in vtroque casu interuenit promissio beneficii ab expectatiuario acceptata, qui iure quidem perfecto beneficium promissum petit. Dominus tamen non tenetur ad interesse, si expectatiuarius sciuit, alteri iam feudum fuisse promissum, quia tunc damnum sua culpa sentit. Ita enim II. F. 8. in *prooem. cautum: qui alienae rei sciens inuestituram accepit: nisi pacto speciali sibi prospexerit, de euictione agere non poterit.* Idem dicendum est, si expectantiae clausula, saluo iure

iure alterius, fuerit adiecta, vel mortuo possessore, alius possessionem apprehenderit, quia tunc dominus cedendo actionem liberatur, ei vero, qui expectantiam impetrauit, incumbit probare, feudum fuisse apertum. Aliud vero statuendum, si ex iure prioris expectantiae quis possessionem apprehendat, quia tunc dominus per cessionem actionum, non liberatur. Ex his porro fluit, expectatiuarium euentualiter inuestitum, si dominum roget, vt feudum apertum concedat, isque temere neget, feudum esse apertum, illud secundum I. F. S. cap. 7. et I. F. *Alem. cap. 15 et 20.* posse occupare.

§. XV.

Multum olim disputatum est, et adhuc passim disputatur, an et quatenus expectantias ab antecessore datas, eiusdem successor praestare teneatur? Qua quidem in re successorem vniuersalem a particulari diligenter discernere debemus. Heres, quia cum defuncto vnā eandemque personam repraesentat, siue est testamentarius, siue legitimus, siue pactitiuus, tanquam successor vniuersalis ad seruandam ab antecessore concessam expectantiam omnino obligatur, nisi salus et utilitas publica aliud exigat. L. 59 et 149. de R. I. L. 54. D. *de acquirend. vel omittend. hered.* Hinc I. F. 9. constitutum: *si quis inuestitus fuerit de alieno feudo post mortem eius, vel si quis fuerit inuestitus sub conditione aliqua, vel tempore, quo nullus erat inuestitus, siue praemoriatur tenens feudum, siue inuestitus: inuestitor, et inuestitoris heredes*

D

*tenen-*



*tenentur inuestito vel heredi eius, veniente tempore vel conditione.* Successores vero singulares ad facta antecessoris praestanda haud tenentur. Quorsum referendi sunt, qui vel iure electionis, vel ex iure primi acquirentis succedunt. Hinc Pufendorfius in *Obseru. iur. vniuers.* Tom. IV. *Obseru.* 221. iustis laudibus Duces Brunsvicensis et Luneburgenses praedicat, qui ex benignitate recepere, vt si vnus linea extincta, alterius patris linea succederet, datae expectatiuae ad expectatiuarii filios pertineant. Quodsi igitur is, qui expectantiam promisit prius, quam feudum fuerit apertum, ex vita discesserit, successor eius vel ex ea ratione, quia casus aperturae nondum existit, ad feudum tradendum non obstringitur. Neque successor singularis tunc, vt expectantiam promissam ratam habeat, iure adstringitur. II. F. 35. Exceptiones tamen variae etiam hic merito locum habent, quas iam Struuius in *Element. iur. feudal.* §. 152. et Puttmannus in *Element. iur. feudal.* §. 285. attulerunt. Ex I. F. 3. huc pertinet ea species, vbi euentualiter expectatiuarius, possessore feudi quidem consentiente, iam ab antecessore fuit inuestitus. Porro huc referendae erunt expectantiae, quas decessor vi consuetudinis legitimae, vel pactorum familiae legumue fundamentalium, iure concedere potuit. Nec minus excipiendae erunt expectantiae, quae pacto publico fuere datae, vel quas successor, dum ad rempublicam administrandam accessit, expresse confirmauit. Quibus annumerare aequum est expectantias ob  
bene



bene merita concessas, cuius generis exemplum occurrit in Glaseii *anecd. p. 134. seq.* vbi Carolus IV. Theodorico Episcopo Mindensi, expectatiam in castra Orlik et Hawenstein concessit, praesertim si statuum prouincialium consensus accesserit, quae ob ipsam vtilitatem publicam non sunt reuocandae. Vide ea, quae olim disputauit Beyerus de *obligat. successor. illustr. in Opuscul. p. 327. seqq.* In Saxonia res decisa est. Sic enim sancit *Const. Elect. 45. P. II: Wenn ein Lehnherr weltlichen Standes iemand ein Angefaelle verschreibt, obgleich seiner Erben darinnen nicht gedacht, dass dennoch dieselben, wo sich der Fall folgendes zutrüge, solche Verschreibung, so weit als die Vergleichung geschehen, inhalts des Buchstabens zu halten schuldig.* Consentit *Proiect. iur. feudal. Megapolitan. Tit. V. §. 1.* Imperator ipse etiam tenetur implere expectantias ab antecessore concessas, si ii, qui secundum leges Imperii consentire debent, suum consensum rite interposuerunt, quia omnes, quorum interest, consenserunt. Mascou. in *dissert. de expectat. in feud. Imper. §. 40.* Quam quidem sententiam ipsae iuuant leges Imperii. Sic enim cautum in *Capitulatione Francisci I. art. XI. §. 12: doch Vns von wegen Unsern Erblanden und sonst maenniglich an seinen Rechten und Freyheiten, auch denen von Unsern Vorfahren am Reiche denen Staenden propter bene merita ertheilten, und denen damaligen Reichs Constitutionibus gemaeßen Anwartungen*





auf künftig sich erledigende Reichs Lehne an ihrer Kraft und Bindlichkeit ohnschaedlich et §. 9: So dann dieienigen (Lehnbriefe und Expeñantien) welche denen von vorigen Kayfern ertheilten, und bestaetigten Anwartungen, auch darauf beschehenen und confirmirten Erbvergleichen zu Praejudiz, auf andere, so in den alten Lehn - Briefen nicht begriffen, extendiret worden, ganz ungültig seyn. Aliter autem se res habet, si consensus statuum, quem requirit *Capitul. nouiss. art. XV. §. 10.* nondum accessit. Videndum quoque, annon expectantia expresse ad personam concedentis restricta sit, v. c. wenn das Lehen bey meinen Leben eroefnet wird. Tunc ne heredes quidem, si feudum, viuo concedente, non fuerit apertum, obligantur. In regula vero heredes obstringuntur, licet eorum nulla mentio facta sit. *Pistor. lib. 2. qu. 26. n. 17. Horn. cap. 12. §. 15.*

§. XVI.

Acquirere potest expectantiam is, qui in genere ad feudum obtinendum est idoneus. Olim quidem, cum feuda in primis militiae causa essent orta atque a vasallis militaria seruitia essent praestanda, omnes ii, qui ea subire non poterant, a feudis arcebantur. II. F. 23. Quorsum etiam pertinent, qui vitio animi vel corporis, vel etiam aliis ex causis, v. c. ob sexum et statum impediuntur, quo minus fini feudorum primario satisfacere queant. Vetus Auctor. de *benefic. §. 4. Ius feudat. Saxon. cap. 2.* Sed hic rem satis notam

copio-

copiosius exponere non attinet. Hodie milite perpetuo in-  
 trodueto, seruitia amplius in natura vix praestantur. Ea vero  
 de caussa expectantiae longe solent esse frequentiores ita, vt  
 in omnibus fere prouinciis imperii Romano-Germanici oc-  
 currant. Cum vero moribus Germanorum priscis soli nobi-  
 les et ingenui militiam equestrem sequerentur, inde ratio re-  
 petenda, cur postea solis nobilibus ius feuda equestria acqui-  
 rendi fuerit concessum. Sed hoc ius postea singularibus pri-  
 uilegiis etiam cum ignobilibus communicatum fuit. Tale  
 priuilegium impetrarunt ciues Misniae anno 1329 a Ludo-  
 uico IV, quod postea a Carolo IV. ad ciues Thuringiae fuit  
 prorogatum anno 1350. Lunigii *Corpus iur. feodal.* Tom.  
 II. p. 546. Schilter in *Commentar. ad ius feodal. Alem.* p.  
 17. seq. In Lusatia superiore ob pactum inter equites anno  
 1619. initum et anno 1654. repetitum, denique anno 1666.  
 ab Electore Io. Georgio II. confirmatum, feuda in regula ad  
 solos nobiles transferenda sunt. *Cod. August.* Tom. 3. p. 366.  
 Ludewig. in *dissertat. quae different. iur. feodal. commun.*  
*et Lusatic.* exhibet p. 20. seq. In Lusatia inferiore extranei,  
 qui iuris indigenatus non sunt participes, secundum priuile-  
 gia de anno 1538. et 1570. a Ferdinando I. et Maximiliano  
 II. tributa, feuda adipisci non possunt. Horn. *iurisprud.*  
*feodal. in appendic. No. 6.* Hi igitur omnes etiam ab ac-  
 quisitione expectantiarum exclusi sunt. In Saxonia ignobiles  
 feuda equestria acquirere non prohibentur, si rusticos excepe-



ris. Confer *Cod. Aug. contin. Sect. I. p. 1014. Rescript. d. d. 6. April 1743. et Mandat. feudal. nouiss. Tit. 6. §. 3.*

§. XVII.

Promissio expectantiae fieri potest vel per ultimam voluntatem, vel per pacta, etiam per verba nuda, vel, vt plerumque fieri solet, per litteras scriptas. Nullae sollempnitates vero ad eam constituendam requiruntur, nec parium curiae testimonio et praesentia opus est. Interdum principes eandem clam, remotis arbitris, promittere solent, vt euitetur odium possessoris et ceterorum aulicorum inuidia. Faciliori probationi inseruit instrumentum desuper confectum, manu et sigillo domini corroboratum. Dari potest vel gratis, ex gratia et mera liberalitate, vt nihil vicissim eo nomine expectatiuarius praestet, vel ita, vt alter se ad quid obliget, quae expectantia dicitur onerosa. Haec, re vel pretio interueniente, fieri potest. II. F. 12. licet raro conueniat, vt quis spem adeo fallacem emat. Olim inprimis dabantur propter bene merita I. F. 27. II. F. 23. Precariam expectantiam, quae ex sola voluntate concedentis pendet, et quae vulgo appellatur Ghaden-Lehn, dominus directus, quandocumque ei placuerit, reuocare poterit. Exemplum precariae expectantiae subministrat Lunigius in *Corp. iur. feud. Tom. I. n. 35. p. 1271.* quam anno 1688. dedit Leopoldus Imperator nobilitati immediatae Francorum in omnia feuda nobilium immediatorum in Franconia vacatura, his quidem verbis: dass, wann  
und



und so oft hinführo von denen, von Uns und dem Heil. Reich zu Lehn gehenden Güttern, womit von Alters her, der Ritterschaft in Franken Mitgliedere belehnet gewesen seyn, Uns, Unfern Nachkommen am Reich und dem H. Reich etwas heimgefallen wird, auf mehr gedachter Ritterschaft in Franken Mitgliedere, sonderbar vor andern gnaedigste Reflexion gemacht werden soll. Legari denique etiam potest, et tunc is, cui legata est, actione ex testamento ab herede inuestituram petere potest, eum in finem, vt casu existente, in ipsum feudum transeat, et quidem in eodem statu, quo antecessor illud reliquit.

## §. XVIII.

Post mortem vasalli possessoris feudum cum qualitate, qua huc vsque vasallus id tenuit, ad eum, qui expectantiam habet, transire, ex II. F. 45. colligitur, nisi quid per conuentionem et infecutae inuestiturae tenorem, mutatum fuerit. I. F. 14. II. F. 18. Id vero secundum contrahentium voluntatem erit aestimandum. Potest enim detrahi aliquid v. c. vt feudum antea francum s. liberum a seruitiis, in posterum sit seruitiis obnoxium. Qualitas hic vero intelligenda est ea, quae iuri conuenit. Hinc soluere debet expectatiuarius ea debita, quae iure feudo fuere imposita, et ad quae dominus ipse, feudo sibi aperto, adstringitur, nempe ea, in quae dominus consensit, vel quae in utilitatem feudi conuersa sunt. II. F. 28. §. 2. Obstrictus etiam est ad soluenda ea debita,

in



in quae solus dominus consentit, quia causam à domino habet, et quae simultanee inuestitus soluere non debet, qui proprio iure succedit. Stru. in *Syntagn. iur. feudat. cap. 14. §. 21.* Ipsa tamen aequitas iubet dominum in eius, qui titulo oneroso accepit expectantiam, praedictum, consensum in debita haud interponere, ne ei omne lucrum auferatur. Confer hic Pufendorf. *Observat. iur. uniuers. Tom. IV. Observat. 221. §. 3.* Tales fallaciae tanto diligentius erunt cauendae, quo est certius, iisdem expectantias profus effici vanas atque irritas.

#### §. XIX.

Effectu vero carent expectantiae, si vasallo de feudo inter viuos vel mortis causa disponere licet, isque de eodem vere disposuerit, nisi fortassis in eum casum, si possessor sine ulla dispositione moritur, concessae fuerint, vasallus vero de feudo nihil statuerit. Non minus efficacia destituta est expectantia, quae aliis pacto confraternitatis iam constitutis, est contraria, nisi data fuerit in euentum, postquam ius eiusmodi pactione acquisitum fuerit extinctum. Neque expectantia nocet ei, cui iam antea eadem fuit data. Hic tamen variae cautiones sunt adhibendae. Etenim si collisio adest, hae regulae sunt obseruandae. Inter duas expectantias simplices prior tempore praefertur posteriori, nisi posterior expectatiuarius iam sit in feudi possessione constitutus, quia tunc alter a domino, vt indemnus praestetur, recte petit. I. F. *Alem. cap.*

*cap. 12. §. 2.* Expectantia qualificata vincit simplicem, etiam priorem. Vide Schilter. *Commentar. ad ius feud. Alemann. cap. 12. §. 5.* Si duae qualificatee concurrunt, prior posteriori erit anteposenda, etsi expectatiuarius posterior feudum iam possideat, dum possessio ei, qui ius aequale iam antea obtinuit, nocere non debet. Si expectatiuarius speciali expectantia praeditus cum eo, qui generali est instructus, concurrat, is, feudo aperto, potior est, cui definite concessa est, licet tempore posterior sit, id quod etiam in *Proiect. iur. feud. Megapolit. Tit. V, §. 5.* disertis verbis praeceptum, nisi specialis tum demum, cum mors vasalli iam instaret, concessa fuerit. Tunc enim propter fraudis suspicionem, praefertendus esse videtur generalis expectatiuarius. Moeller *dist. feud. XII. 11.* et Tornou. *de feud. Meklenburg. p. 253.* Adde Stryckii *dissert. de concurs. expectatiu.* Olim is, qui litteris domini confessionem de feudo sibi collato in continenti probare poterat, alios eiusmodi litteris haud instructos vincebat. Senkenbergius in *Prodrom. iur. feud. in append. p. 162.* In Feudis Imperii etiam in agnatorum praedictum, expectantia non est concedenda. Moser. in *animaduers. ad Capitulat. p. 156.*

§. XX. Si quis expectantiam in certum feudum, cuius alienandi facultatem vasallus habet, inactus fuerit, is alienationem prohibere non potest. Multo minus iam alienatum reuocare poterit,



poterit, cum nullum detrimentum vasallo possessori afferre debeat inuestitura euentualis et expectantia. I. F. 27. Est igitur magna differentia inter simultaneam inuestituram et expectantiam, cum illa contineat ius radicum, et facultatem actus nociuos impediendi complectatur. De simplici quidem expectantia hoc facile conceditur. Sed de qualificata aliter sentiendum esse, quia ea cum iure reali est coniuncta, multi statuunt. Sed etiam haec inuestitura semper ita erit accipienda, ne vlllo modo iura praesenti possessori feudi, vel ipsi domino competentia, minuat. Fortassis vasallus expectantiam alteri concessam ignorat, vel saltim in eam non consensit. Fac vero, eundem consensisse, inde tamen non est inferendum, eundem iuri suo renunciaisse. Dominus vero, qui expectantiam in casum aperturae indefinite concessit, ideo suae potestati nihil detraxit. Ex his igitur sequitur, ut dominus consensum in alienationem denegare non possit, modo ea a vasallo ex causis legitimis fiat. Sic Elector Saxoniae Serenissimus in *Mandat. feudat. nouiss. Tit. 6. §. 3.* promissit, se, si adhuc duo adsint, qui liberos procreare possint, in feudi alienationem esse consenturum. Quoties iustae causae deficiunt, vasallus consensum a domino extorquere non potest. Non tamen in fraudem expectatiuarii feudi alienatio suscipienda. Hinc etiam feudum, in quod quis expectantiam confectus est, in allodium mutari non potest.

## §. XXI.

Num vero vlla successio in expectantia locum habeat, non temere quaeritur. Dominus feudi de dominio vtili iucatum, quo feudum apertum erit, iure disponit, cuius quidem dispositio pro lege, quae hic erit maxime intuenda, haberi debet. Si dominus directus non ad expectantis personam illam restrinxit, succedunt in ea heredes. Aliud vero disponunt iura feudalia Germanorum antiqua, secundum quae expectantiae expirabant, si vasallus possessor, legitimo herede feudali relicto, mortuus erat, cum plerumque in euentum, si vasallus absque herede legitimo decederet, datae fuerint. Sic tradit *Ius feudal. Alemann. cap. 137: Stirbet ein Mann in der wilen, so sin wip ein kint treit, und het er sin Lehen einem Mann gegunnt, mit des Herren will, und gedinget. Und ist die frow dernoch nüt genesen de Man soll sich des gutes mit rechte unterwinden, untze die frowe des Kindes genieffet. Und ist ein sun, so ist die geding zerbrochen, ob es lebendig zu der Welt kommen ist. Consentit ius feudal. Saxon. c. 20: Wenn ein Sohn, der nach seines Vaters Tode geböhren wird, so lange lebet, dass man seine stimme gehoeren mag in den vier Waenden des Hauses, so ist er beerbet mit seines Vaters Lehn, das also alle die, so zuuorn gedinge und anwartung an den Gute hatten, daran gebrochen sind.* Quodsi vero filius ante patrem mortuus esset, tunc expectatiuarii ius iterum reuiuifcebat secundum



dum eundem *textum*: der Sohn aber, der für dem Vater stirbet, der ist kein Lehns Erbe, darumb so bricht er durch seinen tod niemands das Gedinge, das ihm an des Vaters Gut zugesaget ward. Porro ius Saxon. allegat. cap. 5. expresse sancit, ne heredes succedant, cum, mortuo expectatiuario, ipsa expectantia exspiret: Zween Mannen mag der Herr ein Gutk leihen also, dass einer die gewehr daran habe, und der ander das Gedinge. Also ob dieser, so die gewehr haette ohne Lehns Erben stürbe, dass der ander sein geding daran behielte, sonst ist am gedinge keine volge nicht, et cap. 26: Am Angefelle aber ist kein Lehnsrecht, noch keine folge, doch mag man angefelle wohl leihen ohne gericht. Es ist aber keine folge daran, man erbet es auch nicht an die Soehne. Adde cap. 11. 57 et 59. Inde nata est paroemia: am Gedinge ist keine Folge, quam explicauit Eisenhartus in *Grundsätzen der deutschen Rechte in Sprüchwörtern* p. 608. seq. Haec dispositio antiquis quidem temporibus, quibus feuda duntaxat ad dies vitae dabantur, et in quibus tunc nulla locum habebat successio, valde est congrua. Tunc enim vti in ipsis feudis, ita multo magis in expectantiis feudalibus successionem fuisse incognitam, facile perspicitur. Licet vero postea feuda hereditaria facta sint, inde tamen, cum haec successio ad descendentes tantum erat restricta, expectatiuariis nullum oboriri potuit commodum. Sed hae sanctiones post receptionem iuris Longobardici,

bardici; in defuetudinem abierunt. Iure vero Longobardico  
 expectantia etiam ad heredes expectatiuarii transit. Ita enim  
 I. F. 9. scriptum: *Si quis inuestitus fuerit de alieno feudo  
 post mortem eius, vel si quis fuerit inuestitus sub conditione  
 aliqua vel tempore, quo nullus erat inuestitus: siue praemo-  
 riatur tenens feudum, siue inuestitor, siue inuestitus: inue-  
 stitor et inuestitoris heredes tenentur inuestito, vel heredi  
 eius, veniente tempore vel conditione, licet alii dicant, si  
 moriatur inuestitus antequam tenens feudum vel ante con-  
 ditionem existentem, vel ante tempus, quod heredes eius  
 non debeant inuestiri.* Conspirat vero hic ius Longobardi-  
 cum cum iure Romano, secundum quod iura conuentionibus  
 constituta etiam ad pacifcentium heredes transferuntur. Ita-  
 que dominus expectantiam concedens non solum illi, cui  
 eam promisit, sed et post eius mortem, ipsius heredibus suc-  
 cessionis feudalis capacibus promissionem seruare debet, et  
 nihil interest, siue heredum mentio in litteris expectatiuae fa-  
 cta fuerit, siue non, modo ea non expresse ad certam perso-  
 num restricta sit. Praesumendum quoque est, expectatiua-  
 rium non solum sibi, sed et posteris suis prospicere voluisse:  
 cum saepius contingat, vt tempore concessae expectantiae va-  
 fallus adhuc heredes feudales habeat, et, vt demum post mul-  
 tos annos, feudum aperiat. Tunc vero beneuolentia do-  
 mini, qui ei bene cupit, prorsus euanesceret, si hoc benefi-  
 cium vna cum vita expectatiuarii, expiraret. Sic in Impe-  
 rio

rio R. G. multae expectantiae deprehenduntur, quae iam ante aliquot saecula datae sunt, atque adhuc ratihabentur, imo si casus existit, iterum renouantur, de quibus Principes etiam interdum titulos et insignia gerere solent. Conferatur Moser in *Tract. von der teutschen Lehns Verfass.* p. 186. et 181. seqq. it. eiusdem *Reichs Hofraths Process.* Tom. III. cap. 2. §. 20. seqq. In Saxoniam nostra dispositio iuris Longobardici pariter recepta legeque publica comprobata est. Vide *Const. Elect.* 45. P. II. Carpzou. in *def.* 9. ad *dist. Constitut.* sic Scabinos Lipsienses anno 1632. iudicasse, testatur. In *Proiect. iur. feudal. Megapolitan.* Tit. V. §. 2. idem constitutum est. Ante omnia tamen inspiciendae sunt litterae expectantiarum. Nam si eae ad certam personam adstrictae sint, aut aliter actum esse, ex iis liquido pateat, heredes non succedunt. Quod si dominus eos succedere nolit, restringere debet suam voluntatem expressis verbis. Hoc fit in terris Brunsvicensibus, ubi expectantiae expirant, si casus aperturae, viuo acquirente eiusque filiis primi gradus, non existit. Struben. in *rechtl. Bedenken Resp.* 116. Tom. I. In precaria expectantia, quamquam haec semper adimi potest, pariter salua manet successio heredibus, donec dominus ius concessum reuocauerit.

## §. XXII.

Quales vero heredes succedant, in nulla lege decisum est. Nec I. F. 9. quod tantopere fauet expectatiuariis, num heredes  
feu-



feudales, an allodiales succedant, definit. Sed, cum inter expectantiam et simultaneam inuestituram magna similitudo intercedat, et vtraque euentualem successionem tribuat, etiam ab vna ad alteram, quatenus inter se conueniunt, recte ducitur argumentatio. Expectantia feudalis pro obiecto habet feudum, pro subiecto vero futurum vasallum et pro fine successionem in feudum, ideoque successio in eam, ex regulis successionis feudalis erit diiudicanda. Hinc nemo succedere potest, quam persona habilis. Excluduntur igitur feminae, adscendentes, illegitimi, et solummodo succedunt masculi descendentes et ad seruiendum habiles II. F. 11. II. F. 26. II. F. 36. Non vero concludendum est, si expectantia in feudum, in quod fortassis per exceptionem a regula, etiam ii, qui alias a successione remouentur, succedunt, fuerit impertita, inhabiles alias personas in tale feudum succedere posse, cum semper ordinaria feudalis successio sit praesumenda. Si cui expectantia indeterminata data est, et apertum sit feudum femineum, succedunt solummodo heredes masculi, non feminae, nulla enim successio feminarum est, nisi in subsidium I. F. 1, 3. *Ius feudale Alemann. cap. 1, 4.* Porro si feudum mere hereditarium aperitur, non indistincte omnis generis heredes succedunt, cum expectantiae sint strictissimae interpretationis, et ita accipiendae, vt concedenti sint maxime commodae. Sic hodie, cum saepenumero pro certa summa et censu quotannis praestando, feuda mutantur in hereditaria, eius, qui in ta-

libus



libus feudis, antea expectantiam consecutus est, heredes solummodo masculi feudorum capaces, non feminae succedunt. Considerandum potissimum erit tempus, quo eam nactus est, et successio eo tempore usitata erit spectanda. Talis enim successio etiam in expectatiuarium transit. Si vero expectantia determinata fuit, tunc semper praesumitur, dominum eandem successionem, quae in hoc feudo determinato viget, in posterum conseruare voluisse, ut igitur in feudo promiscuae successionis feminae et masculi descendentes expectatiuarii simul, in mere hereditario vero omnis generis heredes, tam cognati, quam agnati, tam masculi, quam feminae succedant. Mutare hoc etiam potest dominus in concessione ita, ut alii heredes, quam vulgo in feudo succedere solent, admitti possint. Sic concessio ad omnes heredes in genere extensa, omnes, alias etiam incapaces admittit; non vero idem obtinet, si nulla heredum feudalium legitimorum, nec si simpliciter heredum, für sich und seine Erben, für sich und sein Geschlecht, mentio facta sit. I. F. 13. II. F. 23. I. F. 8. II. 34. §. 2. Post mortem expectatiuarii, si is tales heredes reliquit, qui succedere in expectantiam possunt, omnes succedunt, et quidem in stirpes; quia descendentes in infinitum in stirpes succedunt ob ius repraesentationis, nisi per pacta, testamenta, aut alio modo, certus succedendi ordo in familia expectatiuarii introductus sit. Licet vero in feudo, in quod quis accepit expectantiam, extraordinarius succedendi modus obtineat;

tineat; tamen hic ad expectatiuarii heredes non pertinet. Si vero plures simul in vnum feudum expectantiam acceperunt, tunc eorum descendentes non in stirpes, sed pro modo condominiumii, quod eorum parentibus in feudo competiit, succedunt. Haec licet se ita habeant, ante omnia tamen lex inuestiturae, cui praecise inhaerendum, erit consideranda. Ceterum hic conferenda est in primis Nettelbladtii *dissert. de success. expectatiuar. in feud. apert.*

§. XXIII.

Restat adhuc, vt aliquid de renouatione et amissione expectantiae, nec non de foro expectatiuarii, addam. Quod attinet ad renouationem inuestiturae, ad eam expectatiuarius non obligatur, cum in praesenti nondum sit vasallus. II. F. 52. in *fin.* licet euentualem inuestituram consecutus fuerit. Etenim eius ius manet suspensum, et inuestitura in euentum facta, tunc demum effectum sortitur, si feudum domino et heredi eius fuerit apertum. II. F. 26. §. 2. Hoc igitur naturale feudi non prius incipit, quam istud fuerit vacuum, a quo demum tempore ad inuestituram petendam est obstrictus expectatiuarius. Ita *ius feudal. Saxon. cap. 7. §. cap. 57: doch muss der Mann des Gedinges, wie recht ist, erinnern in rechter Jahr Zeit, nachdem es ledig wird.* Sub voce Geding, omnis expectantia tam pura, quam euentuali inuestitura munita intelligitur, quocum etiam conuenit *Const. Elect.*



*Elect.* 45. P. II. Horn. *in iurisprud. feudal. Cap.* 17. §. 4. et 7. Adde Decif. de Lyncker *Centur.* VII. 687. Sed tamen hodie secundum *Mandat. nouiss. feudal. Tit.* 1. §. 1. aliud obtinet: Diejenigen aber, so eine bloße Anwartschaft auf ein Lehnguth erhalten, sind die Lehn eher nicht, als wenn sich der Fall zugetragen, und sie den Besitz des Lehnguths erlanget, zu suchen schuldig, es wäre dann, daß ein dergleichen *Expectatiuarius per inuestituram abusiua*, bereits belihen worden, als in welchen Fall derselbe sothane Lehn, bey denen in manu dominante vorkommenden Faellen, zu renouiren verbunden. In feudis Imperii renouatio expectantiarum non est vsitata, sed a quolibet Imperatore eae in Capitulatione confirmantur, nisi iam per pactum cum familia, quae feudum possidet, se simul inuestiri, aut iuramentum a subditis sibi praefari, curauerit expectatiuarius. In feudis Megapolitanis renouatio necessaria est secundum *Proiect. intr. feud. Megapolit. Tit.* V. §. 3.

§. XXIV.

Variis vero modis expectantia finitur suamque vim amittit. Quo pertinet mors expectatiuarii, qui nullos reliquit heredes, atque eiusdem renunciatio. Huc et referendum erit delictum grauius, quod quidem efficit, vt quis a feudo acquirendo excludatur. Sed cum Io. Iac. Helfferich in dissertatione, quae casus potiores extinctae expectantiae sistit, hoc argu-



argumentum data opera excusserit, ad eam hic prouocare malim. Ratione fori expectatiuarii quis fortassis existimet, expectatiuarium in omnibus actionibus, quibus pulsatur, iurisdictioni domini futuri directi ita esse subiectum, vt aut in iudicio eius comparere, aut e contrario ius suum amittere debeat. Sed quia is ius reale, quo in praesenti frui potest, non habet, etiam iurisdictioni domini quoad rem, quam nondum possidet, non est subiectus. In Saxonia nostra ei, qui simplicem expectantiam habet, actionem intendere non possum, bene vero ei, qui abusiue inuestitus est, quia is iam iuramentum fidelitatis et homagium praestitit. Siegel in *princip. iur. feudal. Cap. 6. §. 28.* A tributis, quae vocantur *Personen-Steuer*, expectatiuarii sunt immunes, quia solummodo ea exiguntur a veris possessoribus, vel ab iis, qui vere munera gerunt, aut victum labore et industria comparant, secundum Mand. d. 12. Dec. 1763. et 31. Martii 1767. Ceterum formulam litterarum expectantiae exhibet Struuius in *Element. iur. feudal. in appendic. No. 1.*



3

\* \* \*

argumentum data opera existerent, ad cum hic prode-  
 unum ratione fore expectantem quis foret illis canonicis  
 expectantiam in omnibus rationibus, quibus pulsant, in-  
 flectioni hominibus dicitur in esse subiectum, ut aut in  
 iudicio eius comparare, aut e contra in eum animum  
 debet. Sed qui in ius reale, qui in potestate fore  
 non habet, etiam in iudicio foret, quod rem, quam non  
 esse potest, non est subiectus. In secunda nota est, qui  
 iudicium expectantiam habet, rationem interitus non pos-  
 sedit, bene vero est, qui ad hunc iudicium est, qui se iudicium  
 tantum subiectum et hominum iudicium, sed et in iudicio  
 est, in iudicio foret, et agitur. A iudicio, quae vocantur  
 Personae, expectantiam foret iudicium, qui iudicium  
 modo ea exiguntur a iure potestatis, vel ab illis, qui vero  
 iudicium gerunt, aut iudicium labore et iudicium con-  
 emundum Mand. d. 12. Dec. 1767. et 31. Martii 1767. Ore-  
 tum formulam hinc artem expectantiam exhibet. Sumus in  
 Element. iur. foret in appendice. No. 1.



Wittenberg, Diss., 1783-85

ULB Halle

004 335 937




3

f  
Sl.







13  
12

1783

DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
EXPECTANTIIS FEVDALIBVS

QVAM  
PRAESIDE  
D. GEORGIO STEPHANO  
WIESANDIO

PROFESSORE DIGESTI INFORTIATI ET NOVI  
ORDINARIO CVRIAE PROVINCIALIS CONSISTO-  
RII ECCLESIASTICI SCABINATVS ATQVE COLLEGII  
IVRECONSVLTORVM ASSESSORE

PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
RITE CONSEQVENDIS

DIE XXI. AVG. A. R. S. MDCCCXXXIII.

H. L. Q. S.

AD DISCEPTANDVM PROPOSITVRVS EST

AVCTOR  
CAROLVS GVSTAVVS OBERKAMPF

DABVNO - SAXO

VITEBERGAE,  
LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII